

tantialis mutatio, quia non est a privatione formæ ad formam, respondetur quod est substantialis mutatio perfecte, et consummative, et a privatione gradus perfecti ad perfectum. Ut autem inveniatur ibi transitus a privatione formæ ad formam, sumenda est tota collectio mutationum a mutatione cibi seu alimenti, ex tertia usque ad ultimam mutationem in formam carnis, ubi est ultimus terminus intentus, licet quia paulatim fit, quando est in ultimo complemento jam non est mutatio de forma in formam, sed de priori gradu forma in ultimum, seu in modum informandi perfectum et substantialem, quod etiam substantialis mutatio dici potest.

ARTICULUS IV.

Utrum augmentatio dum durat, et nutritio tota vita sint successivæ, et continuæ?

Duplex est controversia de continuitate horum motuum. Primo, an durent continue, id est, toto vitæ tempore. Secundo, an sint motus continui et successivi, id est, non discreti, nec instantanei, sed divisibiliter, et per partes continuantur; et rursus, an si per partes continuantur, habeant continuitatem regularem, id est, quod si tantum acquiritur an tanto tempore, dimidium in medietate acquiratur, et quarta pars, in quarta parte temporis, an vero irregulariter, sicut cum excavatur lapis a guttis cadentibus, ita tollitur pars lapidis in hoc tempore, quod tamen in medietate temporis non tollitur dimidia pars lapidis, sed disponitur toto illo tempore, ut in ultimo tollatur.

Quoad primum, duo videntur certa. Primum, quod nutritio proprie loquendo, et nisi aliquod impedimentum per accidens obstet, durat

toto vitæ tempore post primum insans, et post aliquantulum temporis, quod requiritur ut alimentum apponatur, et disponatur ut converti possit in substantiam aliti, in quo tamen tempore incipit alteratio, et dispositio ad alimentum convertendum, et sic jam inchoative est nutritio. Secundum est, quod augmentatio non durat toto vitæ tempore secundum quod a nutritione distinguitur. Primum probatur, et explicatur ex Aristotele dicente in hoc primo libro: « Quamdiu salvum manet animal, etiamsi decretionem subeat, nutritur, sed non semper crescit, » ubi etiam videri potest S. Thomas, lectione decima septima. Et explicatur sic, quia non est necesse, ut ita duret nutritio toto vitæ tempore, quod si in quocunque etiam brevissimo tempore non detur, pereat animal, sed quod semper sit indigentia alimenti, et nutritionis, quamdiu vivit animal, ita ut in nullo statu vitæ ponatur terminus huic indigentiae naturaliter loquendo, sicut naturaliter ponitur status, et terminus augmentationi, ita ut amplius non crescat. Quod si aliquo tempore cessat, vel propter morbum, et debilitationem, vel propter carentiam alimenti, non statim peribit animal, incipiet tamen in statu corruptionis esse. Ratio hujus perpetuæ necessitatis præter quotidianam experientiam, sumitur ex ipso viventium temperamento, quod constat ex calido, et humido, et calor debet esse abundans, eo quod quod functiones, et operationes viventium calore ministrantur; calor autem propter sui acrimoniam agit in humidum, atque illud depascit, sicut videmus in igne, qui lignis, aut oleo, aut aliis combustilibus conservatur, et ita si humidum ipsum in viventibus non instauretur, etiam evanescent. Et ideo, quia calor continue perditur

de substantia humidi, si debet durare, oportet quod continuo convertatur alimentum extrinsecum in suam substantiam, ipsumque intrinsecum alimentum si continuo non sustentetur, et foveatur ab extrinseco, brevi peribit. Et hæc est ratio, quare nutritio toto vitæ tempore duret, quia toto vitæ tempore aliquid deperditur per calorem consumentem humidum, et consequenter deperditum indiget reparari. Sed quia non semper æqualiter calor agit in humidum, nec semper est eadem dispositio caloris, vel humidi, nec appositio alimenti, in hoc est latitudo, et aliquando interruptio, licet non statim moriatur animal, sed incipit disponi, ut moriatur si desit alimentum. Unde etiam colligitur ratio quare aliqua animalia dicuntur aliquibus temporibus sine alimento vivere, ut glires, ursi, aliqui serpentes, ut si qui similes (si historiae veræ sunt) hoc enim ideo est, quia licet externum alimentum non recipiant, habent tamen internum aliquem humorem crassiorem, seu pituitam, quæ tempore illo a calore naturali concoquitur vice alimenti et ob caloris defectum lente, et paulatim illum consumunt. Si qui vero homines dicuntur plures dies vixisse, aut annos sine cibo, vel id fabulosum est, vel causam naturalem non habuit, sed vel per verum miraculum, vel a dæmone cibi aliqui ministrati sunt, aut ipsi sibi occulte ministrabant, aut ob aliquam caloris naturalis debilitatem, ita parvum consumebant, ut viderentur non comedere.

Quod vero augmentum non duret toto tempore vitæ experientia manifestum est, et asseritur ab Aristotele loco nuper citato, et tertio de Anima, textu lxx, et a D. Thoma super eadem loca, et secunda secundæ, questione cxxvii, articulo quarto ad

secundum, et in secundo, distinctione xxx, questione secunda, articulo primo ad quartum, et prima parte, questione cxxx, articulo primo ad quartum. Quod semen non informatur anima, et idem docet in iii de Potent. articulo xii, et similiter in quarto, distinctione xlii, quæst. 1, articulo ii, quæst. iii. Et fundamentum deducitur, tum ex continua reactione, qua alimentum ipsum agit in calorem naturalem, siquidem ipsum debilitat, et minuit, calor autem deficiens non potest tantum ex alimento convertere, quantum deperdit; et sic non potest augeri animal: augmentum enim provenit ex eo quod plus acquiritur, quam deperditur; tum etiam, quia id quod acquiritur, cum sit extraneum, etiam suas qualitates imprimit humido nutritivum, quod advenit de novo est ita purum, sicut humidum primum radicale: ubi-
cunque enim fit mixtio extranei non ita purificatur virtus, sed per ipsam mixturem languescit, et mutatur; et consequenter relinquuntur illa virtus minus conduens ad augendum, quia virtus permixta, et extranea minus potest se explicare, et augeri, quam foris, et pura; tum denique, quia si vivencia semper auferentur acquirerent tantam quantitatem, quod non possent unica anima eam informare, et ab uno corde vivificare, nisi ejus virtus etiam auferetur, et fortificaretur, unde quanto magis viveret animal, tanto adhuc posset diutius vivere secundum naturam, quia majorem haberet virtutem.

Sed objicies: Quia si calor naturalis debilitatur per continuam reactionem alimenti, et ideo minus de alimento convertit, etiam minus de humido consumit, in eodem enim calore fundatur, quod consumat de proprio, et acquirat de alieno, et consequenter non bene infertur ces-

sare augmentum, quia plus perdit quam restaurat, siquidem ea ratione, qua non restaurat propter debilitatem caloris, neque etiam consumit. Secundo, quia videmus juvenem habere fortiorem calorem, et melius alimentum decoquere, quam infantem, et tamen infans augetur, non juvenis, ergo male fundatur ista ratio in fortitudine, et perfectione caloris. Tertio, quia nova materia addita, additur viventii novus calor, ergo et nova virtus, ergo quando augetur animal non decrevit virtus sed augetur, diminutio autem accidit ex debilitate virtutis, non autem debilitatur, sed crescit crescente subjecto, et sic in quacunque nutritione, cum nova pars aggeneretur præexistenti, novum etiam augmentum, et nova virtus ei adveniet. Denique, quia posset animal sustentari cibo facilis digestionis, quando perveniret ad terminum augmenti, et tunc facilius converteret tale alimentum, quam perderet de propria substantia, ergo tunc augeretur.

Ad primum respondetur calorem debilitatum minus consumere de humido nutrimentali, et adventitio, præsupponitur tamen plus consumpsisse de radicali quando pervenit ad illum statum caloris debilitati per ætatem. De humido autem adventitio, quanto minus consumitur, tanto magis animal gravatur, indeque potius generantur morbi, et tandem animal moritur. Similiter quanto magis calor debilitatur, tanto difficilius decoquit alimentum extraneum, quia magis dissimile, et crassius est, facilius autem consumit humidum proprium, et partes suas, sunt enim facilioris evaporationis a calore naturali. Tempore autem quo durat augmentum, quia purior adhuc est substantia, et humidum radicale, consequenter calor vitalis magis virtuosus, et purior

est, ideoque plus potest de alimento convertere, quam de propria substantia deperdere.

Ad secundum respondetur, quod calor in juvene est fortior quasi accidentaliter, non quasi essentialiter, id est, enitativo, et in ratione caloris est fortior, sed non vitaliter, aut animaliter, quia non est ita purus propter admixtionem extranei, licet propter majorem soliditatem, et densitatem partium corporis, et pluralitatem partium calor in juvene fortior sit et vegetior, pluresque actiones operetur, quæ majus robur postulant. Et quia humidum adventitium minus consumitur a calore, ipsumque magis impurum reddit, ideo nec tantum perdit de isto humido quando adolescens, vel infans, nec tamen plus acquirit de augmento. Nec obstat, quod aliquando cessante statu et ætate augmenti, pinguescat animal quod etiam pertinet ad augmentum, crescit enim in latera. Sed respondetur, quod animal non dicitur augeri nisi quando crescit secundum longitudinem ita quod ossa, et partes solidiores fiant majoris quantitatis, augmentum vero illud in sola pinguedine, vel carne, etiamsi diffundatur in latera, et multo magis si solum crescat in humore aliquo magis turgido, non est augmentum simpliciter, et quoad omnes partes animalis, sed solum secundum quid, et quoad aliquam partem, scilicet quoad carnem vel humorem, etc.

An vero dentes semper crescant, Aristoteles affirmat libro II de generatione animalium, cap. IV, et saltem non decreseunt, quia propter necessitatem cibi conterendi providit natura, ne ipso continuo attrito decrescant, sed aliunde suppleatur eorum defectus, alias totaliter deflecerent cum animalis dispendio.

Ad tertium, respondetur, quod calor de novo adveniens in materia acquisita non est ejusdem puritatis

et efficacis in ratione vitalis, sicut primus calor insitus, in quo generatur vivens, licet propter spissitudinem, et soliditatem sit fortior, sicut calor in ferro candenti, sed non secundum vim vitalem, in hoc enim magis ac magis debilitatur ipsa continua reactione, actione, et repassione, neque enim in quocunque calore consistit perfectio vitalitatis, siquidem si nimis excreseat, potius interit animal. Illud ergo temperamentum vitalitatis nunquam ita perfecte invenitur in materia acquisita sicut in primo insita et generata.

Ad quartum dicitur, quod cibus quantumcunque delicatus, aut facilius digestionis semper est impurior ipso humido radicali, et insito. Unde licet ex hoc possit dilari vita, si impurum reddatur humidum ex cibo minus crasso, et indigesto, tamen tandem consumetur, quia aliquid impuritatis miscetur, et solum proprium erat arboris vite humidum radicale ad illam priorem puritatem reducere.

Circa secundam difficultatem, scilicet an nutritio, et augmentatio sint motus successivi, et continui a tempore, quo animal incipit nutririi, aliqui existimant non esse motum continuum, nec successivum. Quam sententiam sequitur Tolet. libro de generatione. quest. XI et Pomponatius lib. de nutrit. et augmentat. cap. XIX et alii, et probatur primo ex D. Thoma II-II, q. XXIV, a. VI, ubi inquit: « Augmentum corporale in animalibus, et plantis non est motus continuus, ita scilicet quod si aliquid augetur in tanto tempore necesse sit, quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur sicut continuat in motu locali, sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum, et nihil augens actu, et postmodum producit in effectu id, ad quod disposuerat augendo ipsum

animal, vel plantam in actu. » Ita D. Thomas.

Secundo, probatur ratione difficili, quia si nutritio sit motus successivus, et continuus, sequitur quod substantia alita incipiat per ultimum non esse, et substantia alimenti desinat per ultimum esse, utrumque autem repugnat modo incipiendi, et desinendi substantie. Sequela constat, quia motus successivus non incipit in instanti intrinseco, quia in instanti non datur successio, et sic non est verum dicere, nunc est, quod pertinet ad primum esse, sed nunc non est, immediate post erit, quod pertinet ad ultimum non esse. Similiter cum ad incceptionem nutritionis desinat nutrimentum, quia quamdiu non est nutritio, nutrimentum non est conversum; si est verum dicere nunc non est nutritio, et immediate post erit, etiam erit verum dicere, nunc est nutrimentum, et immediate post non erit, ergo nutrimentum desinet per ultimum esse. Minor vero probatur quoad primam partem, tum quia omnis substantia incipit per primum esse, ut diximus in VI Physic. neque enim minus consistit in indivisibili substantia ut acta, quam ut primo generata, nec minus procedit de privatione ad formam, quod est carere latitudine, nec minus exigit determinatam quantitatem, atque adeo non potest in quavis minima introduci. Deinde, quia si in aliquo instanti est verum dicere, nunc non est forma viventis in alimento, et immediate post erit, vel in illo instanti est completa, et ultima dispositio, vel non; si est ergo et forma, quia ultima dispositio non est sine forma; si non ergo vel deest aliquid divisibile, vel indivisibile: si indivisibile, non poterit incipere immediate post, quia immediate post non sequitur indivisibilis duratio: si divisibile, ergo immediate post non

incipiet, siquidem prius immedie post incipiet medietas illius divisibilis, quam tota, ergo immedie post non erit tota, et completa, atque adeo nec ultima dispositio. Quoad secundam vero partem probatur, quia si aliqua substantia desinit per ultimum esse, sequitur vel dari duo instantia immedie, scilicet instans ultimum desitionis, et primum inceptions sequentis formæ, aut dare materiam sine forma pro aliqua duratione, si designante una forma altera expectat aliquod tempus ut incipiat.

Denique sequitur, quod alimentum possit desinere, vel forma venti introduci antequam materia sit plene disposita, quia si disponitur successive, et continue, et si convertitur alimentum in substantiam alii, quando pervenerit ad ultimas partes alimenti, in quibus conservari possit versus minimum, prius attingitur medietas unius partis motu successivo, quam alia medietas, ergo in illa ultima medietate desinit alimentum ratione minimi antequam introducat ultima dispositio, siquidem hæc successive introducit.

Postremo, suffragatur Aristoteli qui viii Physicor. text. xxiii, docet diminutionem continue non fieri, exemplo lapidis excavati a guttis cadentibus, quæ non continue diminuunt partes lapidis, ita ut si tanto tempore extrahatur tanta pars, in medio illius temporis extrahatur medietas, sed toto illo tempore disponitur, et in ultimo pars extrahitur, ergo idem dicendum erit de augmentatione.

Omitto conveniens, quod aliqui inferunt, quia si nutritio incipit immedie post instans, alteratio desinit in illo instanti qua immedie post jam est substantia, quam disponebat alteratio. Omitto hoc, quia jam supra questione prima diximus ulti-

mam dispositionem non introduci ab alteratione formali, sed ab ipsa generatione substantiali, quæ est alteratio eminenter, quia introducit ducitur simul cum forma substantiali. Unde in ea duratione, qua introducit forma substantialis sive in instanti, sive post instans jam est ultima dispositio, et desinit alteratio, quæ immedie anteponebat aliquid infra dispositionem ultimam.

NHILOMINUS DICENDUM EST: Augmentationem et nutritionem esse mutationes successivas et continuas, prout ly *successivum*, et *continuum* opponitur instantaneo, sive unico instanti; sive discretis non tamen est continuum, si ly *continuum* dicat regularem proportionem, ita ut si augeatur tantum in tanto tempore, immedie ejus augeatur dimidium, et in quarta parte temporis quartum; sed nutritio, et augmentatio admittit irregularitatem, et consequenter aliquid discontinuationis propter dependentiam, quam habet nutritio a dispositione alimenti, quæ non semper est æqualis, et a virtute subjecti, quandoque infirmatur, et non semper est in eadem dispositione. Hæc conclusio secundum utramque sui partem explicat mentem Philosophi, est D. Thomæ. Nam pro ea parte, qua Philosophus ponit augmentationem esse motum proprie dictum v Physicor. cap. ii, consequenter affirmat non esse instantaneum, nec per sola instantia fieri, unde expresse D. Thomæ iii part. question. xxxiii, artic. i in corpore et ad 4, infirmat: « Augmentationem non esse actionem instantaneam, sed successivam. » Idem est autem de nutritione, quæ augmentationem concomitatur. Quod vero non sint motus continui in secundo sensu, id est, regulares, et secundum proportionem assignatam constat ex locis Aristotelis et D. Thomæ allega-

tis in primo, et ultimo argumento.

Ex his sumitur fundamentum conclusionis, quod est duplex. Primum, quia augmentatio est verus motus, ut distinguitur contra mutationem, ut in quinto Physic. citato dicit Aristoteles et nos probamus ibi questione xix, sed motus non potest esse in instanti, ut ibi probavimus questione xiv et xxi, ergo augmentatio est motus successivus.

Secundum fundamentum est, quia ad nutritionem et augmentationem non requiritur determinata quantitas, sicut ad primam generationem, ergo augmentatio, et nutritio successive debet fieri diffundendo qualitatem uniformiter difformiter. Antea probatur, quia in nutritione, et augmentatione supponitur vivens habere jam quantitatem requisitam ad suam consistentiam tam quoad organa, quibus operari potest, quam quoad debitam mensuram ultra minimum, in quo esse non potest, ergo jam non requiritur determinata quantitas in alimento convertendo, neque propter ipsius viventis exigentiam, quia jam habet sufficientem quantitatem ultra minimam, neque propter partem de novo aggregandam, siquidem non magis requiritur quantitas ut informetur de novo pars aggreganda, quam ut jam aggregatæ contineantur sub forma, quando enim adveniunt de novo, et ununtur, tanquam partes adveniunt; ergo non exigitur ad illas major quantitas, quam ut partes totius esse possint, et cum aliis partibus totum componere, ut autem aliquid possit esse pars, non requiritur determinata quantitas, ergo neque ut aggregetur tanquam pars. Imo quanto minor est pars, tanto perfectius agit in illam, et convertet in se sicut ignis minores partes stuppæ, vel ligni convertit in se, neque expectat ut ad determinatam

partem crescant, ergo ad aggerandum rei jam productæ aliquam materiam, non conducit determinata quantitas, sed quanto minor est perfectius aggenerabitur. Unde patet consequentia, quia si non requiritur determinata quantitas, sed quæcumque minor ac minor est capax aggerationis, non obstat aliquid continuitati augmentationis, nisi ex parte qualitatis quæ est dispositio, non detur continuitas. Ex hac autem parte non deficit, quia dispositio illa fit per alterationem, quæ est motus continuus, et ipsa qualitas dispositiva diffunditur uniformiter difformiter, ita ut si in hac parte datur dispositio ultima, in parte immedie detur immedie infra illam, et in alia minus, ac minus usque ad non gradum, ergo continuando actionem aggerantem, continuabitur etiam inductio dispositionis in parte minori, ac minori immedie consequenter, et sic eadem proportione in eis introduceatur forma aggerantis.

Quod si inquiras, quæ sit ratio ponendi istum modum diffusionis qualitatis uniformiter difformiter, respondetur in primis id constare ex ferventia, nam quanto aliquis magis appropinquat ad ignem tanto fortius calefit, et quanto magis recedit, minus, ergo calor non diffunditur ab igne æqualiter in tota sua sphaera, sed in una parte magis, in altera minus. Secundo constat ratione, quia qualitas non diffunditur ab agente per hoc, quod eadem numero transeat de uno subjecto ad aliud, sed per multiplicationem producit ab una parte in partem immediam, et sic est diversa qualitas in una, et in alia, quælibet autem pars medii, in quo multiplicatur qualitas, imperfectiori modo recipit qualitatem, quam sit in subjecto proprio, ergo imperfectius illam producit, et sic quanto magis elongatur ab ipso pri-

mo agente, tanto magis debilitatur ipsa qualitas a sequentibus partibus producta. Minor constat, quia si aequali modo reciperent omnes partes medii qualitatem, nunquam agens haberet terminum ab intrinseco et per se, quia si non debilitaretur ejus virtus, iam intensum effectum produceret in parte immediata, quam in parte distanti; et rursus illa pars distans aequè poterit effectum suum ponere in parte immediata, quam in distanti, et de qualibet est eadem ratio, ergo poterit sine termino producere in quacunque distantia, nisi ponatur impedimentum extrinsecum, et sic ab intrinseco non determinata sphaera virtutis. Si autem qualitas paulatim diminuitur, nec ponitur aequaliter in omnibus partibus, ergo necesse est, quod duae partes non sint similes, neque aequales, sed altera magis, altera minus participet, et hoc est multiplicari uniformiter difformiter, id est, cum dissimilitudine per omnes partes sed cum uniformitate in observando istam inaequalitatem.

Ad argumenta facta in contrarium. Ad primum ex auctoritate D. Thomae respondetur ex dictis, quod augmentatio non est continua continuitate regulari, ita quod si in tanto tempore crescit in mediate temporis crescat dimidium, non tamen negat continuitatem successivam, quae opponitur instantaneis mutationibus, ut ex eodem D. Thoma diximus. Quod autem dixit D. Thomas, quod aliquo tempore operatur natura disponens, et non augens auctum, verificatur in duobus casibus, tum in tempore immediato post primum instans generationis in quo alimentum non statim est dispositum; tum si ex aliqua infirmitate, vel ex defectu alimenti discontinuetur ipsa dispositio requisita ad introducendam formam viventis, et

sic necesse sit iterum consumere tempus, ut disponatur. Extra hos casus si dispositio currenti modo introducat, et sine impedimento, per motum continuum fit.

Ad secundum respondetur, quod introductio formae substantialis generative et totaliter, quando primo fit, debet incipere per primum esse, et opposita desinere per primum non esse: continuatio autem, et aggeneratio substantiae partialis non est inconveniens, quod incipiat ad modum motus, et per ultimum non esse, et juxta modum divisibilitatis partium. Et ad primam impugnationem primae partis respondetur, quod substantia secundum se, et ut totaliter fit prima generatione, indivisibilis est et modo indivisibili fit, in quantum fit integra, et totaliter, ut autem subest quantitati, et ad modum partis, et divisibilitatis acquiritur, modo etiam divisibili fit, et secundum latitudinem partium, et tunc non sit absolute a privatione formae, sed a privatione formae, ut tanta, et in tanta materia, et in tali parte, quae divisibilis est, et ratione ejus induit modum divisibilitatis. Et licet nutritio fiat aliquando sine augmentatione non tamen fit sine nova quantitate, quae constituat rationem partis in substantia, quae de novo acquiritur non absolute, sed ut aggenerata, et secundum rationem partialem. Quando autem dicitur, quod a privatione ad formam non est transitus divisibilis, respondetur quod absolute ita est, sed per accidens, et ratione adjunctae divisibilitatis datur latitudo, et transitus divisibilis, quatenus transit a privatione substantiae absolute, sed a privatione substantiae ut tanta ad hoc, ut tanta sit, neque ad hoc exigitur determinata quantitas in ipsa parte quae aggeneratur, sicut requiritur in toto quando de novo generatur, ut jam ostensum est,

sufficit enim ad aggenerationem determinata quantitas praesuppositiva, in eo scilicet, cui addenda est nova pars substantiae, non in ipsa parte, quae de novo acquiritur, siquidem acquiritur ut pars et per modum divisibilis, non per modum totius ut totum, et unum est.

Ad secundam impugnationem hujus primae partis respondetur, supponendo quod ultima dispositio in nutritione eodem modo concomitatur formam substantialem, ut partialem, seu partialiter introductam, sicut ultima dispositio ad generationem concomitatur ipsam formam substantialem, ut primo introducendam, et per modum totius, ita quod eodem modo servatur prioritas, et posterioritas inter ultimam dispositionem et formam substantialem in una atque in alia. Quo supposito respondetur ex his, quae diximus, q. xxi Phys. art. ii, quod bene potest qualitas certa, id est, determinati gradus, qualis est dispositio ultima incipere in parte incerta et indesignata per ultimum non esse. Et ita in ipsa aggeneratione, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc, non est dispositio ultima, sive introductio formae, et immediate post erit, et inquiritur, an in illo instanti desit aliquid divisibile vel indivisibile, respondetur deesse aliquid divisibile indesignatum, et indeterminatum, non determinatum. Et quando instatur, ergo immediate post non incipiet, nego consequentiam, quia per se loquendo immediate post sequitur aliquid divisibile indesignatum, et sic per partem motus, qui immediate post erit, vincitur illa pars divisibilis talis qualitatis, quae restat acquirenda.

Quod si urgeas: Nam in nostra sententia immediate post jam non sequitur motus alterationis, sed actio ipsa substantialis, a qua mediate fit ipsa dispositio ultima, ut supra,

question. i diximus, ergo non vincitur illa pars divisibilis per motum, quod si per generationem vincitur, jam supponitur res genita, quando dispositio ultima introducit, et vincit illam divisibilitatem, quae deerat ut res generaretur, respondetur quod aliqui dicunt deesse aliquid divisibile, et vinci per motum in tempore immediato, siquidem etiam motus divisibilis est. Quod et nos diximus q. xxi Physicor. loquendo de motu, qui immediate post illud instans incipit. Loquendo autem de actione substantiali, quando immediate post instans incipit, sicut in nostro casu, cum immediate post non desit aliquid acquirendum per motum alterationis quia iam iste cessat, sed per actionem substantialem, quae introducit formam, et dispositionem ultimam (supponimus enim non deesse aliquid praeter talem ultimam dispositionem) ideo dicendum est, quod quando immediate post instans incipit actio substantialis nutritionis, jam in illo instanti non deest ex parte qualitatis disponentis, scilicet ultimae dispositionis, nisi aliquid indivisibile, scilicet ipsa ultima dispositio, quae est terminus reliquarum partium dispositionis, terminus autem aliquid indivisibile est, sed tamen aliunde, scilicet quia introducitur in parte incerta, et indesignata continui, ideo ex parte talis quantitatis, (quae etiam ad dispositiones pertinet) divisibili modo introducitur illa ultima dispositio, sicut et forma substantialis, et per ultimum non esse incipit, sed hoc est per accidens, ut jam diximus, quatenus substantia acquiritur ad modum partis, et in parte incerta, forma autem certa, et indivisibilis in parte incerta incipit per ultimum non esse, ut diximus q. xxi, Phys. art. ii, in ii reg.

Ad secundam partem argumenti, respondetur quod alimentum quoad

illam partem, in qua incipit conversio per ultimum non esse, necesse est quod desinat per ultimum esse, quia inceptio unius, et desitio alterius proportionate se habent in hoc, sed hoc lotum est per accidens, et quia illa pars substantiæ desinit ut tanta et divisibiliter, non ut tota et indivisibiliter.

Ad tertium respondetur quod ut diximus, q. VIII Phys. art. III, quando in alimento convertendo pervenit ad illas ultimas angustias, ut jam non sit quantitas, in qua etiam via corruptionis conservari possit forma alimenti, illæ dispositiones, quæ non perveniunt ad ultimam per accidens redduntur ultimæ, quatenus sublata quantitate requisita destruantur omnes dispositiones conservantes formam alimenti, et consequenter ipsa forma solvitur a materia, et agens potest utendo generatione introducere formam suam. Sic ergo per accidens ex remotione quantitatis, et consequenter reliquarum dispositionum, quæ in eo fundantur, potest introduci forma substantialis, et dispositio ultima eam consequens, quia non manet impedimentum in materia, et generans vel virtus ejus est sufficienter approximata, ut substantialem generationem in illa eliciat.

Ad ultimum respondetur, Philosophum stare pro nobis, quia solum negat continuitatem, quæ importat regularitatem, non vero negat continuitatem quæ opponitur instantaneæ mutationi, hoc enim non deserviebat ad ejus intentum, sed primum, quia ibi intendebat nullum motum esse continuum, id est, perpetuum nisi localem, et circularem, ad quod sufficit, quod augmentatio non est perpetua, sed sæpe interrumpitur propter indispositionem subjecti aut defectum alimenti, et in hoc tenet similitudo de excavatione lapidis per guttas, quia licet

quando fit non fiat in instanti neque enim pars, quæ extrahitur potest separari, et removeri nisi in tempore, tamen propter dispositiones requisitas ex parte guttarum mollescentium, sæpe inerrumpitur, sicut etiam augmentatio. Ultima autem gutta extrahens partem, divisibili motu extrahit, non tamen tali proportionate, quod si tanta pars extrahitur tanto tempore, mediætas ejus mediætas temporis extrahatur.

ARTICULUS V.

Utrum in nutritione, et augmentatione quælibet pars viventis augeatur, et nutriatur?

Restat in his ultimis articulis examinare condiciones, quas Aristoteles ponit in augmentatione quæ sunt tres. Prima, quod aliquid de novo adveniat, seu addatur. Secunda, quod quælibet pars augeatur. Tertia, quod res augmentata eadem maneat. Prima per se est satis nota, de secunda agemus in hoc articulo, de tertia in sequenti.

De secunda ergo conditione triplex oritur difficultas. Prima, an ita augeantur omnes partes viventis, quod non solum partes aliquotæ, sed etiam proportionales. Secunda, quomodo alimentum quod est in poris intrat ad partes solidas interporum, et porum, sine penetratione. Tertia, quomodo ex eisdem partibus emittantur partes, quæ corrumpuntur, et evaporantur, et aliæ excrementitiæ particulæ per eosdem poros sine hoc quod penetrent cum alimento, quod est in eisdem partibus.

Ad primum aliqui existimant in augmentatione non solum partes aliquotas, et certas augeri, sed etiam proportionales. Et fundantur in eo, quia Aristoteles docet omnes partes

augeri, sine ulla distinctione, ergo et partes proportionales, quia vere sunt partes. Deinde, quia partes aliquotæ non habent aliam entitatem distinctam a proportionalibus, ergo si augetur aliquota, debet augeri etiam proportionalis. Denique, quia augeri aliquid immediate, et per se potest sumi dupliciter. Uno modo, quia non per aliquid extraneum, sed sibi intrinsicum, alio modo, quia non secundum partem tantum, sed secundum omnes partes augeatur. Primo modo tam pars aliquota, quam proportionalis dicitur augeri, quia mediante ultima parte, seu extremitate suscipit incrementum. Secundo modo, nec pars aliquota, nec proportionalis augetur, quia alimentum solum applicatur ipsi extremitati, non intus per omnes partes transit, alias vel augmentatio esset mixtio, vel penetratio partium.

Nihilominus partes proportionales non possunt dici augeri continuitate, seu magnitudine, sed solum aliquotæ, et determinatæ, quibus additis adduntur etiam novæ partes proportionales pluralitate quasi multitudinis in potentia non incrementi, quia scilicet plures partes possunt accipi proportionaliter, quam antea. Sumitur ex D. Thoma de Generatione, lection. xv, qui explicans illud dictum Philosophi: «Quod de ratione augmenti est, ut quodlibet signum sensibile majus, minusve reddatur, inquit, quod quodlibet signum sensatum, id est, quælibet pars sensibilis ejus, quod augetur fiat major in augmento, aut minor in diminutione.» Nec valet dicere Aristotelem solum voluisse dicere, quod per ipsas partes sensibiles motus augmentationis redditur sensibilis, licet non propterea neget partes etiam proportionales augeri. Sed contra est, quia hoc commune est omni motui sensibili, ut fiat in magnitudine habente partes sensibiles,

et sic nihil speciale diceret Philosophus et D. Thomas de motu augmentationis, quomodo petat partes ejus augeri, et deinde, quia si motus, ut sit sensibilis, requirit partem sensibilem, et aliquotam, ergo cum pars proportionalis per se sensibilis non sit, sed per aliquotam, quia non est designabilis, ergo per se non terminat motum sensibilem, ergo neque motum augmentationis, qui essentialiter est species motus naturalis, seu sensibilis. Ratio autem conclusionis est, quia partes proportionales si crescerent, aut minuerentur possent fieri majores, vel minores, et sic crescendo per augmentum fierent designatæ, siquidem crescente quantitate, usque ad aliquem terminum deberet crescere, et partes sub illo termino essent designabiles. Deinde, quia partes proportionales non minus sunt infinitæ in parva quantitate, quam in magna, quia in utraque indeterminatæ, et indesignabiles sunt. Crescente ergo quantitate, vel partes illæ manent indeterminatæ, et indesignatæ sicut antea, vel non. Si non, ergo fiunt designatæ et aliquotæ et sic in aliquotis fiet augmentum, et cum essent in infinitum partes illæ proportionales numerabiles, si fiunt aliquotæ, et designatæ manebunt infinitæ partes designatæ, quod est reddi infinitum in actu. Dicere autem quod aliquæ indesignatæ fiunt designatæ, inquit, quod quodlibet quod non est major ratio de una, quam de alia, jam hoc erit negare quod non omnes partes simul augetur. Si vero aque indesignatæ manent sicut antea, ergo non augetur, neque crescunt magis quam antea in ratione continui, et divisibilis, licet quia adduntur novæ partes aliquotæ etiam plures proportionales addantur, quæ in illis includuntur additione pluralitatis, non incrementi, sed illa pluralitas non

est in actu seorsum, sed inclusa in partibus aliquotis.

Ad rationes oppositas respondeatur. Ad Aristotelem dicimus, quod docet omnes partes augeri, sed quomodo augeantur non dicit, augentur enim partes aliquotæ etiam secundum continuitatem, quia majores fiunt, et in plures partes sunt divisibiles, partes autem proportionales non fiunt majores secundum continuitatem, quia non sunt capaces ut majores sint, hoc ipso quod indesignate sunt, quia licet quælibet pars designata sit divisibilis, tamen non est determinate divisibilis, nisi per aliquotam. Unde aliquota crescet, vel minuetur accipiendo terminum majorem, vel minorem, quod pertinet ad divisibilitatis determinationem, sed solum partes proportionales crescent in numero adveniente nova parte aliquota, quia pluries designari potest, et in plures partes proportionales dividi.

Ad primam rationem dicimus, quod partes aliquotæ non habent aliam entitatem à proportionalibus, sed non eundem modum, quia aliquotæ habent extensionem determinato modo et ideo determinate crescere, vel minui possunt, proportionales autem sunt indeterminatæ, et ita non sunt capaces crescendi et decrescendi continue, quia augmentum non fit nisi accipiendo novum terminum majorem, vel minorem, et consequenter determinatum.

Ad secundam respondetur, quod augmentum appositum extremitati partis auget aliquotam continue, et secundum determinatum, proportionaliter autem non continue, nec secundum terminum determinatum, sed ad modum numeri, quia pluribus modis redditur ipsa quantitas divisibilis.

Circa secundam et tertiam difficultatem supponimus alimentum

non deduci ad partes solidas, nisi per poros, qui sunt tenuissima quædam foramina, quæ replentur corpore tenui alimenti, et per quos exit sudor, vel aliæ, evaporationes, est tamen inter porum et porum, pars aliqua solida, alias totum esset vacuum. Est autem necesse ponere istos poros, quia alias non possent minutiora corpuscula, vel liquida, aut evaporabilia subintrare, vel exire a corpore, nisi vel penetrando alias partes, quod est impossibile, vel dividendo, quod esset corrumpere, et dolorem causare. Neque obstat, quod Aristoteles in hoc primo libro, text. LXXX, refutat aliquorum sententiam, qui admittebant poros, ut mediis illis fieret augmentatio: « Sic enim, inquit Aristoteles, fieret augmentatio per juxtapositionem. » Respondetur enim, ut constat ex littera et ex D. Thoma ibi lect. xxiii, circa finem, illos Philosophos posuisse poros ut in illis essent quædam corpuscula, seu atoma quæ componerent additionem sine ulla transmutatione, hoc autem esset destruere augmentationem, et alterationem.

Hoc posito restat difficultas, quomodo ex ipsis poris partes solidæ augeantur, ita quod transeat alimentum ad partes inter porum et porum, et tamen non dividat illas, nec penetret. Et similiter partes, quæ resolvuntur, et deperduntur per calorem debent evaporari, et emitti per ipsos poros, ipsi autem pleni sunt alimento, ergo penetrabuntur, cum ipso alimento existendo simul et transeundo per ipsum porum.

Respondetur neque penetrationem fieri, nec divisionem in nutritione, quia alimentum liquidum, seu sanguis positus in poro, a vicina parte carnis per virtutem nutritivam coagulatur in carnem, et unitur illi extremitati partis tangentis porum, et in ea parte sic coagulata fiunt etiam pori de novo, resolvitur autem

aliquid carnis in evaporationem excrementitiam, et illa potest transire per porum, quia facta coagulatione sanguinis in carnem, jam sanguis occupat minus loci in poro, et in ipsa parte nova carnis fiunt etiam pori de novo, et sic datur locus sudori, vel evaporationi exeunti: sicut posito lebetæ aquæ ad ignem, et calefacta parte immediatiori, pars superior quæ frigidior non est, descendit, et pars calida levior effecta ascendit, sine ulla penetratione, quia pars frigidior sua gravitate scindit partem subtiliorem, et calidiorem. Sic coagulata parte sanguinis in carnem occupat minus loci, quia densior facta est, et sic datur locum ut alia pars subtilior intret, vel alia emittatur. Similiter cum illa pars sanguinis coagulatur in carnem, unitur extremitati partis non autem scindit, vel intromittitur in partem solidam, sed pars solida paulatim resolvitur vi caloris, et illi paulatim succedunt illæ novæ, quæ coagulantur, et sic pars præcedens non penetratur, nec dividitur, sed ejus extremitati unitur, interiores autem partes vi caloris paulatim resolvuntur, et sic penes extremitates fit augmentatio. Denique, pori isti facile dilatantur, vel constringuntur, sicut fit in utribus secundum quod magis vel minus replentur alimento, præsertim in partibus tenerioribus, et facile cedentibus, et tunc plus vel minus intrat de alimento, aut exit de excremento faciendi constipationem aliquam partium quantum requiritur, ut magis porus dilatetur, et sic non est necessarium recurrere ad penetrationem, ut exeant illi vapores per poros, quando pleni sunt, sed ad constipationem, vel condensationem aliquam. Neque ex hoc sequitur fieri nutritionem per juxtapositionem tantum, sicut aquæ additur aqua, sed ultra illam etiam requiritur

conversio partis juxtapositæ in substantiam aliatæ, et deperditionem alterius, quæ per illam novam reparatur.

Sed quares: Cur aliquæ partes non crescunt, sicut palpebræ vero partes etiam cessante augmentatione totius semper crescunt, ut capilli, et ungues. Respondetur partes corporis non esse ejusdem temperamenti, et qualitatis, et ita non eodem modo recipere augmentum, sed aliquas tardius, vel parum crescere sicut palpebræ, alias toto vitæ tempore, sicut dentes propter necessitatem ne continuo attritu ciborum destruantur, quædam etiam propter abundantiam materie, et facilitatem transmutandi perpetuo augentur, sicut capilli et ungues, semper enim suppetunt excrementa fuliginis, ex quibus capilli coaugmentantur, et ista excrementa in quacunque ætate abundant, nisi propter aliquod impedimentum, aut dispositionem contrariam impediatur illa capillorum formatio, ut in calvis, possunt tamen semper crescere, quia calor semper habet sufficientem virtutem ad plus resolvendum, et convertendum de istis excrementis in capillos et ungues, quia minori indigent decoctione. Quod vero aliqui crescant magis in quibusdam partibus, in aliis per accidens est propter abundantiam caloris in aliquibus, et defectum in aliis partibus, vel etiam propter abundantiam, aut defectum alimenti.

ARTICULUS VI.

Quomodo vivens maneat idem toto tempore nutritionis, et augmenti?

Hæc est ultima conditio, quam Aristoteles exigit ad rationem augmentationis, ut id quod augetur semper maneat idem, ut patet in hoc libro, text. xxxiii et xxxiv, et

ibi D. Thomas lect. xiv. Et ratio est aperta, quia si id quod augmentatur non maneret idem corrumpetur, et desineret esse, et consequenter aliud generaretur, et sic non fieret augmentatio ejusdem, sed corruptio unius et generatio alterius, et ita augmentum esset in perditionem, et malum rei augendæ, cum tamen augmentatio, et nutritio ordinentur ad conservationem ejusdem subjecti, et continuationem ejus; si autem corrumpetur, cessaret finis talis nutritionis, transiretque in generationem, et corruptionem, si autem non corrumpitur, ergo manet idem, quod antea, quia non desinit esse.

Cæterum ex ipsa natura nutritionis oritur dubitatio circa istam conditionem, et quod nutritio fit per novarum partium accessionem et antiquarum deperditionem, ergo non manent eadem partes quæ antea, imo tandem omnes corrumpuntur, et aliæ adveniunt, ergo neque manet idem totum, quia hoc non est aliud, quam suæ partes. Nec solvitur hoc dicendo, quod manent eadem partes formales, et non materiales. Contra enim est primo, quia partes formales non sunt aliquid, quam materia ipsa, et entitas partium sub tali forma, et modo ergo desinente ipsa materia per accessionem novarum partium, etiam forma, quæ in tali materia erat, solvitur, et sic non stat materiales partes deperdi, et non formales. Secundo, quia unitas numerica partium, et totius dependet a materia, et quantitate ejus, ut a principio individuationis, ergo si partes materiales deperdunt, etiam principium identitatis numericæ solvitur, atque adeo non manet idem numero vivens, neque idem numero totum, sicut neque partes. Tertio, quia in animalibus imperfectis, et plantis cum nova parte materiæ advenit

nova pars formæ, ergo saltem in illis mutantur partes formales, quia mutatur ipsa forma, seu anima.

Ad primum respondetur, quod Philosophus in hoc primo de Generali. text. xxxv et xxxvi dicit, quod secundum speciem, seu formam manet, et secundum materiam advenit, et recedit in augmento, atque ita manet idem numero formaliter non materialiter. Quod aliqui sinistre voluerunt interpretari, quod manet caro secundum speciem, id est, ea quæ primo accipitur a generante, advenit vero et recedit ea, quæ sumitur ex alimento. Quæ expositio excluditur a D. Thoma 1 part. quæstion. cxix, articul. 1 ad 2, et supra a nobis exclusa est, quia cum calor naturalis agat in omnes partes alterabiles, non est ratio cur non agat in illas, quæ per primam generationem acceptæ sunt. An vero omnes partes etiam duriores, ut ossa totaliter per calorem consumantur, vel aliquid semper de eis remaneat, aliqui affirmant, sed res est omnino incerta propter varietatem temporis vite, nam animalia, quæ longissimo tempore vivunt non est dubium, quin calor etiam duriores partes ab initio generationis acceptas tandem transmutet, et consumat, quæ tamen brevioris vite sunt, fortassis non consumunt omnes istas partes duriores, prout magis, vel minus duraverit vita.

Quare S. Thomas distinctionem illam Philosophi explicat de carne secundum speciem, et secundum materiam juxta diversam considerationem, si enim consideretur secundum id quod est formale in ipsa, sic manet eadem caro, secundum vero id quod est materiæ, sic non manet, sed paulatim consumitur, ut videmus in continua nutritione ignis per ligna. Hoc autem formale intelligitur, dispositio illa sub qua manet caro quantum ad

figuram, temperamentum, ordinem ad reliquas partes, et ad formam. Et intelligitur manere hæc formalitas seu dispositio unitate continuationis sub partibus materiæ succedentibus, non unitate indivisibilitatis, de quo videri potest D. Thomas iv contra Gentil. cap. lxxxii, ad 4.

Ad primam replicam contra hanc solutionem respondetur, quod quando dicuntur partes materiales deperdi, et non formales, non intelligitur, quod succedentibus partibus materiæ eadem forma accidentaliter ita permaneat, quod transeat de subjecto in subjectum, hoc enim esse non potest, sed sicut deperduntur partes materiales, ita et accidentia prout illis affixa, quod est etiam ipsa accidentia materialiter sumpta transire, dicitur autem partes formales non deperdi, quia sub eadem continuatione ordinantur partes eodem modo ad componendum ipsum totum, non unitate indivisibilitatis, quæ illi non debetur, sed continuationis. Hujus rationem accipere possumus ex D. Thoma dicta quæstion. cxix, articul. 1 ad 4, et ex notatis a nobis quæstion. vi Physicor. articul. prim. quia quando in igne, vel vivente paulatim consumpto alimento aliud substituitur, semper manet idem numero, qui semper, quod additur, transit in præexistens. Quæ ratio consistit in hoc, quod quando continue, et paulatim aliquid additur alteri, id quod superadditur, ipsa continuitate fit unum cum præexistente, et rursum cum aliquid superadditur etiam fit unum cum illo; unde licet successive deperdatur, tamen ratione illius continuitatis semper verificatur aliquid de ipso toto manere cum parte superveniente, et consequenter ratione talis continuationis sub similibus accidentibus, et dispositione manere eandem unitatem numericam, non quidem numeri-

cam, non quidem ita perfectam sicut quæ indivisibiliter sunt unum, sicut Angelus, vel cælum, sed unitate continuationis. Si vero tota simul materia unitis auferetur ab eo, et alia totalis de integro substitueretur, non esset idem numero, quia talis neque identice, neque continuatione cum alia unum esset.

Quod si instes: In hoc non poni majorem unitatem in viventi, quam in fluvio, vel populo, quæ dicuntur unum, licet partes fluant, et homines mutantur, quia fluunt sub eadem habitudine, et dispositione, et ordine, quod est habere solum unitatem ordinis, non substantiæ, respondetur esse latam differentiam, quia populus non dicitur unum unitate aliqua physica secundum continuationem partium, quia homines sunt diversi numero solum habentes coadunationem convictus, quæ est unitas moralis, et secundum quæ, quatenus sub eisdem legibus, et societate vivunt. Fluvius autem et si habeat omnes partes continuas, et fluentes, tamen una pars non continuatur alteri per conversionem, et commixtionem, sed per successionem præcise, quia una est post aliam, unde partes, quæ modo succedunt, nullam habent unitatem cum partibus, quæ a viginti annis habebantur in fluvio, quia pars succedens non commiscetur, et convertitur in substantiam totius, sed emittitur consecutive post aliam. Oppositum vero est in partibus animalis, in quibus non præcise una emittitur post aliam, sed conversio ipsa in substantiam præexistentis pertinet ad eandem unitatem cum ipso secundum conversionem, et continuationem, non pura et sola successione. Et præterea in animalibus perfectis datur etiam unitas formæ indivisibilis, ut dicemus q. ii de Anima, art. i, et sic animal ita est dispositum, quod potest retinere aliquid

omnimode, et indivisibiliter unum sive formam, sive aliquas partes duriores saltem pro aliquo tempore, fluvius autem nullo tempore idem est permanenter, et indivisibiliter, sed sola successione est unus.

Ad secundam replicam supra positam respondetur, quod unitas numerica sumitur ex materia signata, et subordinata ad quantitatem, et reliquas dispositiones, ex quibus pendet unitas, vel divisio, ut questione sequenti dicemus. Unde sic materia debet esse una sicut unitas ipsa numerica, quam præbet una est, si enim est una continuatione, sufficit quod materia signata tanquam principium unitatis ejus non sit identice una etiam materialiter, sed sufficit quod continuatione sit una, et secundum partes formales, seu secundum sigillationem continuationis, non indivisibilis unitatis. Secus est, si unitas numerica sit omnino indivisibilis, et identice sicut in celo, tunc enim requiritur etiam similis identitas in materia, quæ est principium illius numerice unitatis.

Ad tertium respondetur, in illis animalibus advenire novam formam, sicut et novam partem materiæ, sed utrumque continuatione fieri unum, et subordinatione ad idem totum, quod componunt, ratione cujus partes materiæ dicuntur manere eadem formaliter, etiam si non habeant formam indivisibiliter eandem. Quod si etiam detur forma substantialis indivisibiliter, eadem major aliqua unitas dabitur, sed tamen hoc non requiritur, sed poterit salvari unitas numerica simpliciter unitate continuationis, et subordinationis prædictæ componentis semper unum super unum totum permanens per conversionem unius in aliud non per solam successionem. Itaque unitas numerica non eodem gradu invenitur in

omnibus, sed est major, vel minor, secundum quod magis accedit ad indivisibilitatem, vel immutabilitatem partium, aut recedit.

QUÆSTIO IX.

DE SUBJECTO ACCIDENTIUM ET PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia materialia subjacentur in toto composito, vel in sola materia?

Duplex subjectum solet communiter distingui, scilicet *denominatio- nis* et *inhesionis*. Subjectum denominationis est illud, quod denominatur a forma, id est, suscipit prædicationem ejus. Subjectum inhesionis est illud cui uniter forma, id est, suscipit actualitatem, et esse ejus. In subjecto denominationis includitur omne illud, de quo verificatur prædicatio formæ, sive sit subjectum principale, sive minus principale, sive extrinsecæ denominationis, sive intrinsecæ; nam non solum dicitur lapis albus qui est subjectum principale, sed etiam quantitas dicitur alba, quæ est subjectum minus principale, et paries denominatur visus extrinsecæ, homo autem videns intrinsecæ. In subjecto inhesionis comprehenditur subjectum *quod*, id est, ipsum subsistens, seu suppositum, quod se habet ut agens, vel recipiens tanquam subjectum ultimum et subjectum *quo*, id est, quod est ratio, seu medium recipiendi.

De subjecto denominationis nulla est difficultas apud auctores, quod accidens denominare possit ipsum suppositum, sicut cum dicitur homo albus, nec nos dubitamus posse

partem denominari etiam ab accidentibus, ut cum dicuntur capilli crispi, oculi cærulei, superficies alba, etc. licet in verificanda denominatione totius, et partis observanda sit regula S. Thomæ in part. quæst. xvi, articulo viii, quod quando aliquo forma indifferenter potest denominare totum et partem, si solum sit in parte, non denominat totum absolute, sed solum secundum restrictionem partis, sicut Ethiops non denominatur albus ab albedine dentium, eo quod albedo nata est convenire toti corpori, et parti. E contra vero, si solum aliquod accidens natum sit convenire parti, et non toti, absolute denominat totum, licet soli parti conveniat, sicut homo dicitur videns absolute, licet solum oculis videat, et crispus, licet solum crispetur in capillis. Et hæc ratio Christus non dicitur absolute creatura, quia hoc prædicatum est transcendens fundatum in ipso esse limitato, quod non convenit soli naturæ, sed personæ, imo primo convenit personæ, quam naturæ. Dicitur tamen absolute servus, quia servitus fundatur non in ipso esse, sed in dependentia alicujus ab alio in suis operationibus, seu motu, servus enim non se movet, sed movetur ab alio sicut instrumentum, principium autem motus est natura, non persona.

Quare tota difficultas est, de subjecto inhesionis immediato, ad quid videlicet immediate terminetur inhesionis accidentis, et a quo immediate sustentetur in esse.

Sententiæ præcipuæ in hæc parte reducuntur ad duas. Prima tenet materiam primam esse subjectum sufficiens inhesionis accidentium. Secunda asserit solum compositum esse immediatum eorum subjectum. De forma autem nulla fit mentio, quia non est ratio recipiendi, sed actuandi, et dandi esse, et ita, si

est non subsistens, est eadem ratio ac de materia respectu accidentium dimanantium ab illa: de forma autem subsistente ut anima rationali est eadem ratio, ac de composito, quia est subsistens, et de facto est subjectum intellectus et voluntatis.

Prima sententia communiter tribuitur Averroi, qui posuit quantitatem, seu dimensiones interminatas esse coævæs materiæ, ut refert S. Thomas præsertim opuse. xxxii, cap. iv, et sæpe juxta eandem sententiam videtur loqui ut in iv, distincto. xii, quæst. i, art. ii, quæst. iv et iv contra Gent. cap. lxxxii, et aliis in locis, et plures ex antiquis secuti sunt eandem sententiam, qui citantur a M. Bannez i de Generat. cap. iv, quæst. ix, art. iii, et a P. Suarez disp. xiv mel. sect. iii, in principio. Ex recentioribus autem aliqui non solum quantitatem interminatam, sed etiam figuratam et terminatam tribuunt materiæ tanquam subjecto, ita quod eadem quantitas cum materia transeat de corrupto in genitum. Sed dividuntur, nam aliqui tribuunt materiæ secundum se, et independentem a forma, quod recipiat quantitatem et accidentia; pro qua parte plures ex antiquis citat M. Bannez loco citato, art. i. Alii existimant materiam esse subjectum inhesionis accidentium, supposita tamen forma substantiali, a qua primo actuatur; pro qua sententia stat P. Suarez citato loco, num. xxxi, pluresque citant, et sequuntur Conimbricenses i de Gener. c. iv, q. iv, art. i. Adhuc tamen in fine articuli non dependere materiam in hoc munere sustentandi accidentia a forma, ut a conditione sine qua non, sed ut a causa habitante ipsam materiam et perficente inesse, ut possit sustentare accidentia, nam ex se sufficiens non est, quia sine forma non habet esse. Denique, multi putant